



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

**Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de**

Lvgdvni, 1609

§. III. De reseruatis partim Papæ partim Episcopis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

XXXI. *Contra Cardinales committentes Simoniam sede vacante.* Comprehendit prædictos, qui sede Apostolica vacante contraueniunt, ordinant, disponunt, aut aliquo modo præsumunt facere, vel attentare contra ordinata à Iulio II. vt sine Simonia eligatur Papa. cap. 27. num. 111.

XXXII. *Contra exercentes confidentiam Simoniacam.* De hac dicit Pius V. in extrauag. Intolerabilis: & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus nisi in mortis articulo constitutus, ab alio quàm à Romano Pontifice valeat absolui. Comprehendit ipso facto non solum exercitores talis confidentiæ, sed etiam mediatores. cap. 27. num. 110. & 111. De hac materia vide tit. Confidentia: & plura cum ipsa extrauag. vide tit. Simonia. P. lit. F.

EXCOMMUNICATIO-
nes reseruata partim Papa, partim Episcopis. §. 111.

I. Reseruata Episcopo est propter leuem percussionem cleric. c. 27. num. 111. Nou. num. 112. de qua plura tit. Absolutio 1111. & Percussio.

II. Quam

II. Quam fert Episcopus per suum statutum referuando sibi absolutionem. ibid.

III. Papalis, cuius absolutio ob aliquod iustum impedimentum, quo intercluditur recursus ad Papam, conceditur Episcopo, & non alij inferiori. cap. 27. num. 112.

IV. Est partim Episcopalis, partim non. Contra participantem cum excommunicato in crimine, propter quod est excommunicatus, & cum reservatione ei cui esset reservata absolutio excommunicationis propter illud crimen, in quo participando eam alius incurrit. Requiritur ad incurrendam hanc, vt participet post crimen commissum, & post incurram excommunicationem, & vt sciat non solum esse excommunicatum, sed etiam denunciatum: & qui incurrit, toties incurrit quoties participat. num. 112.

V. Partim Episcopalis partim non, contra eum qui in periculo mortis, vel ob aliud impedimentum, absolutus ab eo qui aliàs non potest, non se presentat superiori. Et contra eum qui absolutum à Papa, vel nuncio, precipientibus, quòd se presentet ordinariis, vt exequatur eorum mandata, vel vt satisfaciat læsis, non facit quàm citò commodè potest. Tempus autem quo tenetur

tenetur presentari, si commodè potest, relinquatur determinandum iudicio boni viri quoad forum exterius, sed quoad interius conscientia ipsius absoluti. num. 113.

EXCOMMUNICATIO-
nes, nemini reservata. §. IIII.

A I. **C**ontra seculares non reddetes ius Ecclesiasticis. num. 114.

II. Contra consentientes suæ electioni in Papam non factæ canonicè, & contra recipientes eum. Ibid.

III. Contra Episcopum, qui in ciuitate diuersarum linguarum, suscipit gubernationem eorum qui sunt suæ linguæ, priusquam suscipiatur à proprio Episcopo in coadiutorem suum. num. 114.

IV. Contra scholasticos Bononiæ, qui conducunt domos alterius Doctoris, aut scholastici sine consensu eius ante finem termini. Ibid.

B V. Contra imponentes Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis taleas, & vectigalia, si admoniti non desistant, & omnes, qui præbent consilium, fauorem, vel auxilium, & eorum successores. Requiritur vt sint Gubernatores, Rectores, aut potestates secula-